

liqua deditur unguis sancti

canu leonide deprecatur vas

Laudis aquila **L**audis forma bestia

his qua scipua thieralis nota sit

materialis her est impositio **L**

picinis famem. pleni us

Qui rursus nos dicitur

de seipua nos dicitur ad

una alio super us **DE**

pe mercedis et coram

Reyßer dieser Buch.

1. Bekantnis von der personlichen Vereinigung beider Naturen in Christo v. Titelm. Heshusij.
2. Bekantnis vom 5. Abendmahl Christi. Heshusij.
3. Brief von dem Collegio der zu Landenburg versambelten Theologen von dem Vbi quæste
Vobis Christus Item iudicium Heshusij
4. Brief von den neuen Amblingiten
5. Uebersetzung des Dymokartes, nambis zu Leipzig wider die Anhaltischen Theologen
Brief von den neuen Amblingiten.
6. Antwort auff etliche fragesstellte fragen Titelm. Heshusij et c. davon in
7. Extrakt oder abzug auß einem christlichen Dombrief und warnung v. Heshusij (im h. l. 177)
8. Warnung mit Vermahnung der von Zerbst an v. Selneccern
9. Kurzer schriftliche Antwort auff die Anhaltischen Theologen Warnung und Vermahnung
10. Selneccer Kurzer abblung der schriftlichen Antwort der Amblingischen Theologen
11. Auff die Anhaltischen Theologen wider v. Chemnitzium und Selnet.
12. Bericht Vobis M. Wolff Ambling und sein anhang wider die Anhaltischen Predigern
13. Johicarpis hieser erklärung über 3 fragen, welche Hüber erzeigt hat.
14. Disputatio de persona Christi Pfaffradon
15. Disputatio 1. de officio prophætico Christi. Berckelmann
16. Historia passionis et resurrectionis Christi per Justum Groschart
17. Enchiridion Catecheticum Cyprij
18. De incarnatione Verbi disputatio per Alarinum
19. Disputatio 3. de peccato originis. Hoffmann
20. Propositiones de Baptismo Heshusij
21. Disputatio de ecclesia Dei Boetij

15
Car. 74

Disputatio I.

DE OFFICIO CHRISTI
PROPHETICO:

DE PROPHETIS ITIDEM
& Doctoribus vtriusque Testamenti;

QVAM

DVCE ET AVSPICE

Summo & maximo omnium Do-
ctore Christo,

SVB PRÆSIDIO

REVEREN-

DI ET CLARISSIMI

MI VIRI, DN. STEPHANI

GERLACHII, SACROSANCTÆ

Theologiæ Doctoris, & in inclita Tübingensium Acade-

mia Professoris celeberrimi, Domini hospitis, Præce-

ptoris & fautoris sui reuerenter

colendi,

AD DIEM VI. ET VII. MARTII,

horis, locoq; solitis publicè examinandam,

ET

Proingenij sui modulo defendendam

Proponit

M. Theodorus Berckelman

Neostadio-Brunsvigiacus.

TVBINGÆ,

Typis Philippi Gruppenbachij,

Anno 1607.

R E V E R E N D I S S I M O,
M O, I L L V S T R I S S I M O, E T
P O T E N T I S S I M O P R I N C I P I A C D O M I N O, D O M I N O
H E N R I C O I V L I O,
Postulato Episcopo Halberstadensi, Duci
Brunsvicensi & Lunæburgensi, &c.
Heroi nostri seculi fortissimo, Domino suo
clementissimo & studiorum Me-
cænati liberalissimo.

I NCLITE DVX, totosamã laudabilis orbe,
Quem Patriæ agnoscit subdita turba Patrem.
Ad tua summissè sublimia limina flecto
Lumina, per titulos ingrediorq; tuos.

Da precor accessum, clementer & accipe summis
Pro meritis serui munera parua tui.
Parua nimis, fateor; tanto & vix Principe digna:
Qui studijs tribuit tot benefacta meis.
Inclinata tuã mea sors bonitate recumbit,
Atque hîc quòd viuo, muneris omne tui est.
Exsuperor: meritis nil dignum reddere possum:
Quod possum; merita te pietate colam.
Tu modò da votis, Heros fortissime, nostris:
Approbet vñ studium gratia vestra meum.
Sic te cœlestis seruet tutela Parentis,
Vt Te, sit Patriæ firma, Parente, salus.
Sic patrium virtus & partum extendat honorem,
Et pia vota, Dei fata benigna iuuent.
Vtque virens semper laurus, sic inclytã perstet
Gloria Guelphiadum dotibus aucta suis.

Reuerendissimæ & Illustrissimæ Celsi. Vestræ
Alumnus subiectiss.

M. Theodorus Berckelman,
Neostadio-Brunsvi-
gius.

T H E S I S I.



V M O M N I V M N O S T R V M,
 qui à Christo nomen accepimus, maximi inter-
 sit, vt fontem & auctorem salutis nostræ I E-
 S V M C H R I S T V M, tum quoad personam;
 tum quoad eius officium, rectè cognoscamus:

De posteriore, quantum quidem diuina largietur gratia, quæ-
 dam pertractare, & publici exercitij gratia ad disquirendum
 proponere, nobis institutum est: Idque pro triplicis officij
 Christi ratione, συζητήσει tripartita.

2. Propheta enim ille Magnus, & vniuersalis omnium
 hominum Doctor, in Sacerdotem & Regem vnctus, atque
 ob id C H R I S T V S dictus, Prophetæ, Sacerdotis & Regis offi-
 cium suscepit, sustinuit, & adhuc exsequitur.

Triplex officium
 Christi.

3. Primum, & Propheticum Christi officium est, quo
 mysterium Euangelij, de redimendo humano genere, ex sinu
 æterni Patris protulit; hominibus patefecit, & per Prophe-
 tas vsque ad suum aduentum πολυμερῶς ἢ πολυτρόπως prædixit
 & docuit. Deinde in diebus carnis suæ populum Israel, in pri-
 mis verò Discipulos suos, de rebus adhuc futuris certiores fe-
 cit, & omnem Euangelij, legisque veritatem docuit: Et ad-
 huc hodie, per ministerium verbi, (cui ipse præest,) nos docet,
 Magister scilicet & Doctor noster, cœlitus nobis ad audien-
 dum à cœlesti Patre commendatus.

1. Propheticum.

4. Secundum officium est Sacerdotale; quo pro totius
 mundi peccatis, oblatione corporis, & profusione sanguinis
 sui, satisfecit; nos à peccatis purgavit; simulque ab ira Dei &
 damnatione æterna, quam peccata merentur, liberauit: Nec
 non virtute meriti & satisfactionis suæ, pro nobis apud Pa-
 trem adhuc intercedit; peccata remittit; sanctificat, & per
 ministerium verbi & Sacramentorum salutem credentibus
 confert.

2. Sacerdotale.

5. Tertium Christi officium est Regium; quo hæres &
 Dominus omnium, sedens ad dexteram Dei Patris omnipo-
 tentis, omniaque in cœlo & in terra gubernans, Ecclesiam
 ab initio vsque ad finem mundi sibi parat, eamque verbo &
 Spiritu

3. Regium.

Spiritu suo regit; & contra varios hostes conseruat, protegit & saluat.

Vocabuli Prophetæ
significationes.

6. Sed vt in primo Christi officio (duobus posterioribus alij tempori reseruatis,) considerando & pertractando commodius progrediamur; non erit fortassis abs re alienum, si prius ipsum *vocabulum Prophetæ*, & quot modis in sacra Scriptura vsurpetur, attentius obseruemus.

I.
Prædicere futura.

7. Primùm igitur Græci Prophetas, (vt verbum *προφήται* ostendit) à *prædicendo* sic appellârunt; quòd futura prædicerent. Sic 3. Reg. 22. v. 8. & 2. Par. 18. v. 7. Rex Israel Achab de Michæa ad Iosaphat dicit: *Ego odi eum; quia non PR O P H E T A T*, id est, non prædicat, prænunciat, aut vaticinatur *mibi bonum, sed malum.*

8. Eadem significatio in nouo Testamento sæpius occurrit. Matth. II. v. 13. *Omnes Prophetæ & lex, vsq; ad Ioannem PR O P H E T A R V N T*, id est, futura de Christo prædixerunt. Id quod Danielis 9. cap. vers. 24. confirmatur: *Septuaginta hebdomades abbreviata sunt super populum tuum, & super urbem sanctam tuam, &c. ad finiendum Visionem & Prophetiam.* Matth. 15. v. 7. & Marc. 7. v. 6. *Benè PR O P H E T A V I T de vobis Esaias.* Act. 26. v. 22. *Quæ Prophetæ locuti sunt futura esse.* I. Pet. I. v. 10. *Prophetæ, qui de ventura in vos gratia PR O P H E T A V E R V N T.*

Præterita etiam &
præsentia scire.

9. Cæterùm, *prophetare* significat, non tantùm futura, sed etiam *præterita & præsentia*, menti humanæ per se cognitu impossibilia, *scire & explicare.* Ita Moses in Genesi *prophetauit* de creatione. Luc. 7. v. 39. Simon Phariseus ait intra se, de Christo: *Hic si esset PR O P H E T A; sciret utiq; quæ & qualis est mulier, quæ tangit ipsum: quia peccatrix est.* Matth. 26. v. 68. Luc. 22. v. 64. milites cædentes obuelatam Christi faciem, dicunt: *PR O P H E T A nobis Christe, quis est, qui te percussit?* indicantes scilicet, id quoque esse spiritus Prophetici.

II.
Deum celebrare.

10. Deinde, *prophetare*, aliquando significat, Deum canendo, psallendo celebrare; eiusque miracula, bonitatem, sapientiam & potentiam laudibus extollere. Num. II. v. 25. *Cumq; requieuisset in eis Spiritus, PR O P H E T A V E R V N T*, id est, laudes Deo dixerunt. Et v. 27. Cùm Mosi nunciatum esset: *Eldad & Medad PR O P H E T A N T in castris;* respondit Moses v. 29.

v. 29. *Quis det omnem populum Domini* PROPHEAS? 1. Sam. 10. v. 5. inquit Samuel Sauli: *Obuium habebis cœtum Prophetarum descendentium de excelsis. Et ante eos p[er] iterum & tympanum, tibia & cithara: ipsiq[ue] PROPHEANTES: id est, Deum laudantes.* 1. Sam. 19. v. 20. & seqq. *S. ulis nuntij, adeoq[ue] ipse Saul cum prophetarum cœtu, & cum Samuele, PROPHEAVERUNT.* 3. Reg. 18. v. 29. *Prophetae Baal PROPHEAVERUNT, id est, vt v. 26. habetur, nomen Baal inuocârunt à manè vsq[ue] ad meridiem, dicendo, Baal exaudi nos.* 1. Par. 25. v. 1. *Filij Asaph, & Heman, & Idithun PROPHETABANT IN CITHARIS & psalterijs & cymbalis.* v. 3. *Filij Idithun, ad manus patris eorum IN CITHARA PROPHE- TANTIS, ad confitendum & laudandum Dominum.*

II. Interdum *prophetae* vtrumque significat: & Deum celebrare, & futura prædicere. Vt, Luc. 1. v. 67. *Zacharias repletus Spiritu sancto, PROPHEAVIT, id est, Deum Israel cantico suo celebrauit: & de puerulo Ioanne futura prædixit.*

12. Aliquando *Prophetae* nomen significat sincerum verbi Dei Doctorem, aut excellentem Scripturæ interpretem. Idem enim *Prophetae* olim & Doctores erant in Ecclesia. Genes. 20. v. 7. dicit Deus ad Abimelech de Abrahamo: *Nunc redde viro suo uxorem, & orabit pro te: quia PROPHEA est.* Fuit enim Oraculorum Dei præco & interpret: qui etiam pro peccatoribus orauit & intercessit. Esa. 3. v. 2. *Ecce Dominator Dominus exercituum, auferet à Ierusalem & Iuda, PROPHEAM.* id est, sinceros & fideles Ecclesiæ Doctores.

13. In nouo Testamento hæc significatio vsitatior est. Matth. 10. v. 41. *Qui recipit PROPHEAM in nomine PROPHEÆ, id est, Doctoris verbi, mercedem Prophetae accipiet.* Matth. 13. v. 57. Marc. 6. v. 4. Luc. 4. v. 24. Ioan. 4. v. 44. *Non est PROPHEA sine honore, nisi in patria sua, & in domo sua.* Matth. 23. v. 34. *Ecce, ego mitto ad vos PROPHEAS.* Luc. 1. v. 76. *Et tu puer, PROPHEA Altissimi vocaberis. Præibis enim ante faciem Domini, AD PARANDVM VIAS Eius.* 1. Cor. 14. v. 29. *PROPHEÆ verò duo aut tres loquantur; & alij diiudicent.* Ibidem v. 32. *Spiritus Prophetarum Prophetis subiiciuntur.* Vbi nomine Prophetarum intelliguntur, qui facultatem habent explicandi verbum Dei, & ex hoc alios docendi, hortandi, & consolandi.

III.
Docere vel Scriptu-
ram interpretari.

14. Eodem sensu & verbum prophetare, vsurpatur. 1. Corinth. 14. v. 1. *Æmulemini spiritualia, magis tamen ut prophetetis.* Exponit autem Paulus ibidem, quid sit prophetare, inquiens versu 3. *Ceterum, qui PROPHEAT, hominibus loquitur ad edificationem, & exhortationem, & consolationem.* v. 31. *Potestis singulariter omnes PROPHEARE, ut omnes discant, & omnes consolationem accipiant.*

15. Cæterum, hîc negandum non est, aliquos etiam in nouo Testamento dono Prophetiæ propriè dicto, instructos fuisse. Zacharias enim Luc. 1. v. 67. *Spiritu S. repletus, PROPHE- TAVIT, dicens: &c.* vers. 76. *Et tu puer Propheta Altissimi vocaberis: praibus enim ante faciem Domini, ad parandum vias eius. &c.* Luc. 2. v. 34. Simeon dixit ad Mariam: *Ecce, posuit est hic in Ruinam, & Resurrectionem multorum in Israel, & in Signum, cui contradicitur.* Act. 11. v. 27. *Venerunt Hierosolymis Prophetae Antiochiam: ex quibus vnus, nomine Agabus, significauit per Spiritum, famem magnam FUTURAM in tota terrarum orbe.* cap. 21. v. 10. & 11. Idem Propheta PRÆDIXIT Paulo captiuitatem Hierosolymis. Ibidem v. 9. Philippus Euangelista legitur habuisse quatuor filias virgines PROPHEANTES.

IV.
Libri vel Scripta
Prophetarum.

16. Non rarò etiam per Prophetas libri à Prophetis scripti significantur. Matth. 5. v. 17. *Ne existimetis, quòd venerim ad soluendum legem, aut PROPHEAS.* Matth. 22. v. 40. *In his duobus mandatis tota lex & PROPHETÆ pendent.* Luc. 16. v. 29. *Habent Moysen ac PROPHEAS: audiam illos.* Et v. 31. *Si Moysen & PROPHEAS non audiunt, &c.* Luc. 24. v. 27. *Et exorsus à Mos., & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipso erant.* Et v. 44. *Quòd necesse foret impleri omnia, quæ SCRIPTA sunt in lege Moysis, & Prophetis, & Psalmis.* Act. 24. v. 14. *Credens omnibus, quæ in lege & Prophetis SCRIPTA sunt.*

V.
Pseudoprophetae.

17. Præterea, Prophetæ vocabulum, & ipsum propheta- re, etiam Pseudoprophetae, falsâ rerum vaticinatione, falsa- que doctrina homines decipientibus tribuitur. Deut. 18. v. 20. *PROPHEA autem, qui superbe egerit, loquendo verbum in nomine meo, quod non praecepi illi, ut diceret, merietur.*

18. Huius-

18. Huiusmodi fuerunt in veteri Testamento Prophetae Baal, quadringenti & quinquaginta viri. 3. Reg. 18. v. 19. & 22. Hananias, qui non missus à Deo, confidere fecit populum in mendacio, Ierem. 28. Achab, filius Colia, & Sedecias filius Maasia, Ierem. 29. v. 21. & alij. Quin & mulieres quasdam pseudoprophetissas fuisse in veteri Testamento, ostendit Ezechiel cap. 13. v. 17. Et tu fili hominis, pone faciem tuam contra FILIAS populi tui, QVÆ prophetant de corde suo, & vaticinare contra eas.

19. De ijs passim conquerentes veri Prophetæ, eodem nomine vtuntur. Ierem. 2. v. 8. PROPHETÆ prophetauerunt in Baal, & post ea, quæ non proderunt, ambulauerunt. Ierem. 5. v. 31. Prophetae prophetabant MENDACITER. cap. 14. v. 14. Et dixit Dominus ad me: Falsò Vates vaticinantur in nomine meo: non misi eos, & non præcepi eis, neq; locutus sum ad eos. Visionem mendacem, & diuinationem, & NIHIL, & seductionem cordis sui vaticinantur vobis. Idem Ierem. de iisdem cap. 20. v. 6. cap. 23. v. 13. cap. 27. v. 14, 15. cap. 29. v. 8. & 9. Ezech. 13. v. 3. cap. 22. v. 28. Ose. 9. v. 7. & 8. Mich. 3. v. 5.

20. Omnium autem communissimè in sacris literis Propheta vatem significat, qui à Deo immediatè excitatus, per eiusdem reuelationem arcana & futura, bona malaque prænunciat, & viam salutis monstrat, vt gloriæ Dei, & salutis hominum inferuiat.

VI.
Propheta proprie & specialiter sic dicti.

21. Hoc modo passim vocantur, non tantùm quatuor illi, quos Maiores Prophetas vocant: Esaias, Hieremias, Ezechiel, Daniel, & 12. Miores, quorum libri extant: sed alij etiam, quorum scripta vel temporis iniuriâ interciderunt, 2. Par. 12. v. 15. & cap. 13. v. 22. vel nulla extiterunt. Cuiusmodi in regno Israelitico floruerunt, Elias Thibites, 4. Reg. 2. v. 12. Et Eliseus, 4. Reg. 13. v. 14. vterq; pater, currus Israel, & equites eius.

22. Hocce S. Scriptura alijs etiam titulis insignire voluit. Primùm enim, propter visiones & reuelationes Propheticas, quibus secreta & absentia cognoscebant, & de rebus futuris ita loquebantur, ac si earum fuissent spectatores & ἀποπταί, VIDENTES appellati sunt. Idque vocabulum vetustius esse, quam

Synonyma Prophetarum:

videntes.

quàm

quàm Prophetæ, patet ex I. Sam. 9. v. 9. *Qui Prophetæ hodie, vocabatur olim VIDENS.*

Speculatores.

23. Deinde, **SPECVLATORES** dicti sunt, quòd videlicet collocati quasi in speculam seu turrim ministerij diuini, pro aliorum salute vigilare, & imminenti pericula præsignificare debuerint. Esai. 52. v. 8. *Vox SPECVLATORVM tuorum, leuauerunt vocem, simul laudabunt.* Ierem. 6. v. 17. *Constitui super vos SPECVLATORES.* Ezech. 3. v. 17. & cap. 33. v. 7. *Fili hominis, SPECVLATOREM dedit domui Israel: & audies Verbum de ore meo, & præmonebis eos ex ME.*

Episcopi, siue
Superintendentes.

24. Cum hoc titulo coincidit in nouo Testamento nomen **EPISCOPI** siue **SUPERINTENDENTIS**, qui superiori quasi loco constitutus, in ea, quæ fiunt, intendit, eaque accuratè obseruat. Act. 20. v. 28. *Attendite igitur vobis & cuncto gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit EPISCOPOS, ad regendum Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.* Phil. 1. v. 1. *Omnibus sanctis in Christo Iesu qui sunt Philippis, vnà cum EPISCOPI S ac Diaconis.*

Pastores.

25. Vocantur etiam **PASTORES**, à pascendo pecore similitudine desumpta. Esai. 56. v. 11. *Ipsi PASTORES ignorauerunt intelligentiam.* Ierem. 3. v. 15. *Et dabo vobis PASTORES iuxta cor meum, & pascent vos scientiâ & intelligentiâ.* Ezech. 34. v. 2. *Fili hominis, propheta contra Pastores Israel.*

26. Hoc ipsum tamen nomen **Regibus** etiam & **Principibus** in veteri Testamento attribuitur. Esai. 44. v. 28. *Qui dicit ad Cyrum, PASTOR meus es.* Ierem. 23. v. 1. *Væ PASTORIBVS, qui perdunt & dispergunt oues.*

Viri & Homines
Dei.

27. Denique, Prophetæ **VIRI & HOMINES DEI** nominati sunt, propter peculiare consortium, quod præ alijs mortalibus cum Deo habuerunt, qui eis arcana reuelauit: vt, 1. Reg. 2. v. 27. *Propheta ille ad Helimissus à Domino.* 1. Reg. 9. v. 6. 7. & 10. *Samuel.* 3. Reg. 12. v. 22. *Semeias.* 3. Reg. cap. 13. v. 1. & seqq. *Propheta increpans Ieroboamum.* 3. Reg. 17. vers. 18. & 24. 3. Reg. 20. v. 28. *Elias.* 4. Reg. 4. & 5. cap. *Elisæus.* 2. Pet. 1. vers. vlr. *Spiritu Dejecti, locuti sunt sancti DEI HOMINES.*

Serui Dei.

28. Et de Prophetis, quos **SERVOS** suos appellat sapius, in genere Dominus loquitur, 4. Reg. 9. v. 7. *Vlciscar sanguinem*

guinem **SERVORVM MEORVM** Prophetarum. 4. Reg. 17. v. 23.
4. Reg. 24. v. 2. Ierem. cap. 7. v. 25. cap. 29. v. 19. Amos cap. 3.
v. 7. Zach. 1. v. 6.

29. Ijdem titulo **EVANGELISTÆ** commendantur. *Euangelistæ.*
Esaï. 41. v. 27. Et Ierusalem **EVANGELISTAM** dabo. Esaï. 52.
v. 7. Et Nahum. 1. v. 15. Ecce, super montes pedes **EVANGELI-**
ZANTIS & annunciantis pacem.

30. In nouo autem Testamento, (vbi secundum vaticinia
Prophetarum, omnes gentes de articulis fidei & salutis do-
cendi, & ad Regnum Christi vocandi fuerunt:) Doctores Ec-
clesiæ sequentibus titulis notabantur, ad Eph. 4. v. 11. Et ipse
dedit, alios quidem Apostolos: alios verò Prophetas: alios autem **EV-**
ANGELISTAS: alios Pastores, & Doctores.

31. Et quidem duodecim Christi discipuli, quòd cum cer- *Apostoli*
to mandato emissi essent, **APOSTOLI** sunt dicti. Luc. 6.
v. 13. Et cùm dies factus esset, vocauit discipulos suos, & elegit duodecim
ex ipsis, quos & **APOSTOLOS** nominauit. Eisdem D. Paulus exi-
mios appellat, 2. Cor. 11. v. 5. Existimo enim, me nihilo inferiorem fuisse
se **SVMMS** Apostolis.

32. Porrò non illi 12. tantum, sed & alij excellentes viri,
qui à Spiritu sancto & Apostolis emittebantur ad propagan-
dum Euangelium Christi, *Apostoli* vocati sunt: vt, Barnabas,
Act. 13. v. 2. & cap. 14. v. 22. Rom. 16. v. 7. Salutate Andro-
nicum & Iuniam cognatos meos & concaptiuos meos, qui sunt insignes
inter Apostolos. Phil. 2. v. 25. Necessarium arbitratus sum, Epaphrodi-
tum, fratrem & collegam & commilitonem meum, vestrum autem
APOSTOLVM, mittere ad vos.

33. Hinc & Paulus in exordijs Epistolarum suarum, & ali- *Paulus.*
bi, se nominat *Seruum* & *Apostolum* Dei & Iesu Christi: *Prædica-*
torem seu *Præconem*: *Magistrum* siue *Doctorem* gentium: & *Euang-*
elijatque Ecclesiæ *ministrum*. Rom. 1. v. 1. Paulus, **SERVVS** *δούλος.*
Iesu Christi, vocatus *Apostolus*. Tit. 1. v. 1. Paulus *Seruus* Dei, **APO-** *ἀπόστολος.*
STOLVS autem Iesu Christi. 1. Tim. 2. v. 7. Et 2. Tim. 1. v. 11.
Per Euangelium, in quod positus sum ego **PRÆCO** & *Apostolus*, ac *κήρυξ.*
DOCTOR gentium. Act. 26. v. 16. Iesus ad Saulum in via *διδάσκαλος.*
prope Damascum ait: Ad hoc apparui tibi, vt constituam te **MINI-** *ὑπηρέτης.*
STRVM, ac **TESTEM**, & eorum, quæ vidisti, & eorū, in quibus appa- *μάρτυς.*
rebo

- λεῖτε γὰρ. *rebo tibi.* Rom. 15. v. 16. In hoc, ut sum **MINISTER** Iesu Christi in
 δάκον. *gentes.* 1. Cor. 3. v. 5. *Quis igitur est Paulus, quis Apollo? nisi MINI-*
STRI, per quos credidisti. Eph. 3. v. 7. & Col. 1. v. 23. Per Euan-
 gelium, cuius factus sum ego Paulus **MINISTER**.
- Apostoli & mi- 34. Cæteri etiam Apostoli, alijque in docendo & propa-
 nistri Ecclesiæ. gando verbo Dei fideliter laborantes, **Diaconi** siue **Ministri**, &
Dispensatores, **Commilitones**, **Conserui**, & **Dei Cooperarij** vocantur.
 ἰσηρέται. Luc. 1. v. 2. *Sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, &*
 δάκονοι. **MINISTRI** fuerunt sermonis Euangelici. 2. Cor. 3. v. 6. *Qui*
 & idoneos nos fecit **MINISTROS** novi Testamenti. Col. 4. v. 6.
 σύνδουλοι. *De omnibus vos certiores reddet Tychicus, dilectus frater, & fidus Mini-*
 συνεργοί. **ster**, & **CONSERVVS** in Domino. 1. Theff. 3. v. 2. *Misimus Timo-*
 theum fratrem nostrum, ac **Ministrum Dei**, & **COOPERARIUM**
 nostrum in Euangelio Christi. 1. Cor. 3. v. 9. *Etenim Dei sumus COO-*
 PERARIUM. Tit. 1. v. 7. *Oportet enim Episcopum inculpatum esse, tan-*
 δικονόμοι. *quam Dei DISPENSATOREM.* Phil. 2. v. 25. *Necessarium ar-*
 Commilitones. *bitratus sum, Epaphroditum, Cooperarium, & COMMILITO-*
 NEM meum, vestrum autem Apostolum ad vos mittere. Philem. v. 2.
 Archippo **COMMILITONUM** nostro.
- πρεσβύτεροι. 35. Præterea, qui reliquos ætate, doctrina, aut morum gra-
 Seniores. uitate antecellentes, Ecclesiæ præficiiebantur, **PRESBY-**
TERI siue **SENIORES** dicti sunt, Act. 14. v. 22. cap.
 15. v. 6. 1. Tim. 5. v. 17. *Qui bene præsumt PRESBYTERI, duplici*
honore digni habeantur, maximè ij, qui laborant in sermone & doctrina.
 Tit. 1. v. 5. *Huius rei gratiâ reliquite in Creta, ut quæ desunt, pergas*
corrigere, & constituas oppidatim PRESBYTEROS. Hi postea ver-
 ἐπίσκοποι. su 7. vocantur **Episcopi** 1. Pet. 5. v. 1. **PRESBYTEROS** inter vos, qui
 sum & ipse Presbyter, rogo, pascite eum, qui apud vos est, *gregem Christi.*
- ἡγούμενοι, 36. Idem, quòd docendo, monendo, vitæ que exemplo
 Duces. præibant, ducebant & regebant alios, ἡγούμενοι seu **DUCES**
 dicebantur. Heb. 13. v. 7. *Mememote DVCEM vestrorum, qui*
locuti sunt vobis sermonem Dei, quorum imitamini fidem. v. 17. *Obedi-*
te DVCEBUS vestris, & subditi estote. Illi enim *vigilant pro anima-*
bus vestris.
- Patres. 37. Denique etiam **PATRES** spirituales rectè dicuntur,
 quòd ministerio suo homines regenerent. Vnde Paulus 1. Co-
 rinth. 4. v. 15. *Etiamsi innumeros Pædagogos habeatis in Christo, non*
 multos

multos tamen habetis PATRES. Siquidem in Christo Iesu per Euangelium Ego VOS GENVI. Gal. 4. v. 19. FILIO LI mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. 1. Tim. I. v. 2. Paulus Timotheo germano FILIO IN FIDE. Philem. v. 10. Rogo pro FILIO meo, quem genui in vinculis meis, Onesimo.

38. Horum epithetorum quaedam in nouo Testamento, etiam Pseudoprophetae attribuuntur. Matth. 22. v. 35. Interrogauit eum vnus ex eis, Legis DOCTOR, tentans eum. Luc. 5. vers. 17. Cum ipse doceret, erant sedentes Pharisei & Legis DOCTORES. Luc. 2. v. 46. Inuenerunt illum in templo sedentem in medio DOCTORVM. Matth. 15. v. 14. Christus de Phariseis: Omittite illos: DVCES sunt caeci caecorum. 2. Cor. 11. vers. 13. Istiusmodi Pseudoapostoli, operarij dolosi sunt; transfigurantes se in APOSTOLOS Christi.

Pseudoprophetae, etiam nominantur interdum Doctores.

Duces.

Apostoli.

39. Sed haec de vocum Prophetæ & Prophetare significacionibus, ac nominibus æquiualentibus: nec non in genere de Doctorum Ecclesiæ (Christi Seruorum) epithetis, prolixius forsitan ac fieri debuit, hinc præmissimus. Sequitur iam, vt porro videamus, quòd Christus Dominus noster καὶ ἐξ ὀχθῆν Prophetæ sit: & quomodo Prophetæ ille Magnus & Doctor Ecclesiæ vniuersalis, munere suo Prophetico perfunctus sit.

40. Quòd igitur Christus sit verus, singularis, ac summus ille PROPHETA & DOCTOR à DEO promissus, non solum ipsa Dei vox de cælo testatur; ipseque adeo Dei filius verbis & opere demonstraui: sed & Apostoli confirmarunt, plurimique Iudæorum cognouerunt, & cum veritate facti sunt.

CHRISTVS est verus ille & summus Prophetæ.

41. Moses Eum Prophetam appellat Deut. 18. vers. 15. PROPHETAM è medio tui de fratribus tuis, sicut Ego, suscitabit tibi Dominus Deus tuus: Ipsum audietis. Hoc vaticinium allegant, & de Christo interpretantur, Petrus Act. 3. v. 22. & 24. Et Stephanus Act. 7. v. 37. Ipse etiam cælestis Pater de Filio suo loquitur: Matth. 17. v. 5. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, IPSVM AUDITE.

42. Et Iesus Matth. 13. v. 57. Marc. 6. v. 4. de seipso testatus est, quòd Prophetæ sit, inquit: Non est PROPHETA exers honoris, nisi in patria sua, & inter cognatos, & in familia sua. Simili-

militer Luc. 13. v. 33. Fieri non potest, vt PROPHE TA pereat extra Hierusalem. Duo discipuli Emmauntem euntes Luc. 24. vers. 19. idem enunciant de Iesu Nazareo, quod fuerit vir PROPHE TA, potens opere & sermone, coram Deo & toto populo.

43. Quinquies mille viri, quinque panibus & duobus piscibus saturati, Ioan. 6. v. 14. dicebant: Hic est verè PROPHE TA venturus in mundum. Luc. 7. v. 16. Cùm Christus mortuum resuscitasset, turba glorificat Deum, dicens: PROPHE TA Magnus surrexit inter nos: & Deus visitauit populum suum. Ex eodem, alijsque miraculis, Ioannes Baptista discipulos suos, & ipse quoque Christus docuit, quod sit ille venturus in mundum.

Pastor. 44. Hinc propter idem officium Propheticum, Christus Dominus noster alios etiam titulos cum veritate sustinet. Iohan. 10. vers. 11. Ipse inquit: Ego sum PASTOR ille bonus. Bonus Pastor animam suam ponit pro ouibus. Et vers. 16. Alias oues habeo, quæ sunt ex hoc ouili, &c. 1. Pet. 2. vers. vlt. Eratis vt

Episcopus. oues errantes: sed conuersi estis nunc ad PASTOREM & EPISCOPVM animarum vestrarum. 1. Pet. 5. vers. 4. Cùm appa-
Pastorum Prin- ruerit ille PASTORVM PRINCEPS: reportabitur immarcescibilem gloriæ coronam.

Seruus. 45. Sic & Pater cœlestis, Christum Filium suum per Prophetas aliquoties appellat SERVVM suum. Non, quod ratione diuinitatis minor sit Patre: sed quia salutis nostræ causâ non tantum Hominem assumpsit, sed etiam seipsum exinaniens, formam Serui sumpsit. Phil. 2. vers. 7. Venitque vt ipse ministraret, ac daret animam suam redemptionem pro multis: Matth. 20. vers. 28. Esai. 42. vers. 1. Ecce SERVVS meus, innit ar in Eo. Electus meus, in quo complacuit sibi anima mea. Esai. 49. vers. 6. dicit Dominus: Leue est, vt sis mihi SERVVS ad suscitandum tribus Iacob, &c. Etiam dedite in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ. Esai. 52. vers. 13. Ecce prudenter aget SERVVS meus: exaltabitur & eleuabitur, & sublimis erit valde. Esai. 53. vers. 11. In scientia sui iustificabit ipse iustus SERVVS meus multos. Zach 3. vers. 8. Ecce Ego adduco SERVVM meum Germen.

Euangeli-

46. Euangelistarum quoq; seu euangelizantium primus & summus est: utpote, qui reliquis Euangelistis scribendi materiam, adeoque ipsum Euangelium suppeditauit. Vnctus enim Spiritu Domini, ad EVANGELIZANDVM pauperibus missus fuit; ad ligandum contritos corde: & predicandum captiuis liberationem. Hoc testimonium ipse Christus repetit, & de se explicat, Luc. 4. v. 18. & 21. Ibidem versu 43. ad turbas ait: *Etiam alijs ciuitatibus oportet me EVANGELIZARE regnum Dei: nam in hoc missus sum.* Ephes. 2. v. 17. Ipse veniens EVANGELIZAVIT pacem ijs, qui procul aberant, & ijs, qui propè.

Euangelista.

47. Idem ipse est ille DOCTOR iustitiæ, Præceptor, Magister, ac Dominus per Prophetas promissus. Ioel. 2. v. 23. *Filij Sion, exultate & lætèmini in Domino Deo vestro; quia dabit vobis DOCTOREM iustitiæ.* Esa. 55. v. 4. *Ecce Testem populis dedi eum, Ducem ac PRÆCEPTOREM gentibus.*

Doctör.

48. Ideo de se ipso loquitur ad Discipulos suos, Matth. 10. v. 24. & 25. Luc. 6. v. 40. *Non est Discipulus supra PRÆCEPTOREM suum: Sufficit discipulo, ut sit sicut Præceptor ipsius.* Matth. 23. v. 8 & 10. *Nolite vocari RABBI; nec vocemini MAGISTRUM.* Ioan. 13. v. 13. *Vos vocatis me MAGISTRUM ac DOMINUM, & benè dicitis: SVM enim.*

Διδάσκαλος.
Præceptor.

Καθηγητής.
Magister.

49. Nomine RABBI & Præceptoris, sæpius Eum compellârunt Discipuli. Ioan. 1. v. 38. & Marc. 9. v. 4. Petrus in transformatione Christi in monte dicit Iesu: RABBI, *bonum est, nos hîc esse.* Idem Luc. cap. 5. v. 5. cap. 9. v. 33. & 49. Ioannes vocant illum ἐπιστάτην, Idque cæteri Discipuli in naui periclitantes ingeminant, Luc 8. v. 24 & v. 45. repetunt. ἐπιστάτης.

ῥαββί.

50. Et hunc quidem dignitatis titulum non tantum plebeij, sed multi etiam ex primarijs, ipsique adeo hostes Christi, cogente veritate, illi concesserunt. Diues ille & princeps adolescens, Matth. 19. v. 16. Luc. 18. v. 18. Nicodemus, Ioan 3. v. 2. Simon, Luc 7. v. 40. alijque Pharisei. Legisperiti, Luc. 10. v. 25. cap. 11. v. 45. Et Scriba, Matth. 8. v. 19. cap. 12. v. 38. Marc. 12. v. 32. Luc. 20. v. 39. Scriba & Pharisei, Ioan. 8. v. 4. Et ijdem cum Herodianis, Matth. 22. v. 16.

Apostolus.

51. Epistola ad Hebræos capite 3. vers. 1. eum vocat **A P O S T O L U M**, hoc est, Legatum. A Deo enim Patre, Iudæorum & Gentium causâ, missus est in hunc mundum, vt voluntatem ipsius, & Euangelion de gratuita remissione peccatorum & salute æterna annunciarer.

52. Hinc Christus subinde doctrinam suam transcribit Patri, à quo missus erat. Ioan. 7. vers. 16. *Mea doctrina non est mea, sed eius, qui misit me.* Ioan. 8. vers. 28. *Ex meipso facio nihil, sed ita, vt docuit me Pater meus, hæc loquor.*

Vniuersæ Scripturæ
scopus est Christus.

53. Denique, vt rem constringamus, vniuersæ Scripturæ tam Prophetica, quam Apostolica primarius scopus est **C H R I S T V S**: vtpote, de quo promissiones partim manifestæ, partim figuræ, typi, & vmbrae Christum repræsentantes, in Mosis & Prophetarum scriptis exstant.

54. Euangelistæ insuper in enarranda Christi Natiuitate, Concionibus, Miraculis, Passione, Morte, Sepultura, Resurrectione & Ascensione in cœlum, toti sunt occupati. Nec Paulus se quicquam aliud scire iudicauit, quod prædicaret, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum, 1. Corinth. 2. vers. 2.

55. Sic quoque in Psal. 40. vers. 8. legitur: *In volumine libri scriptum est D E M E.* Ioan. 5. vers. 39. *Scrutamini Scripturas, quia vos videmini vobis in ipsis vitam æternam habere: & illa sunt, quæ testificantur D E M E.* vers. 46. *Si enim credidissetis Mose, credidissetis vtique mihi; D E M E enim ille scripsit.* Luc. 24. vers. 27. *Exorsus à Mose & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ D E I P S O erant.* Et vers. 44. *Necesse fuit impleri Omnia, quæ scripta sunt in lege Mosis, & Prophetis, & Psalmis D E M E.* Vers. 46. & 47. *S I C scriptum est, & S I C oportebat Christum pati & resurgere à mortuis tertio die; & prædicari in nomine Eius pœnitentiam & remissionem peccatorum in Omnes gentes.*

56. Hisce consonant etiam alia Scripturæ testimonia. Petrus Act. 3. vers. 24. ait: *Quin & Omnes Propheta à Samuele, ac deinceps quotquot locuti sunt, etiam annunciauerunt dies I S T O S.* Actorum 10. vers. 43. *H V I C omnes Prophetae testimonium ferunt, &c.* Philippus ad Nathanaelem, Ioan. 1. vers. 45.

D E

DE QVO scripsit Moses in lege, & Prophetæ, inuenimus IESVM, filium Ioseph, Nazarenum. Actorum 8. vers. 35. Aperiens Philippus os suum, & incipiens à Scriptura ISTA (Esaiæ 53.) prædicauit illi (Eunucho) IESVM. Paulus Actorum 26. vers. 22. & 23. Vsq̄ue in hodiernum Diem sto, testificans paruoque & magno; nihil aliud dicens, quàm ea, quæ Prophetæ dixerunt, futura esse, & Moses: quòd passurus fuerit CHRISTVS. Actorum 28. vers. 23. Idem Iudæis exponebat, testificans regnum Dei, suadensque eis DE IESV, EX LEGE MOSIS, & PROPHETIS. Ephes. 2. vers. 20. Superstructi super fundamentum Apostolorum ac Prophetarum; cuius summus angularis lapis est IESVS CHRISTVS.

57. Cùm igitur ex præmissis indubitato constet, Christum esse Prophetam illum, & Doctorem toti mundo à Deo promissum; ad quem tanquam ad scopum, Omnes Prophetæ & Doctores vtriusque Testamenti vaticinia & doctrinas suas direxerunt: & ad quem nobis vnice, veluti ad indubitatam æternæ salutis anchoram, confugiendum est: Consideremus nunc, quomodo Prophetico suo officio perfunctus sit.

58. Dux autem sunt eius officij partes, quarum prior consistit in rerum futurarum prædictione, & abditarum reuelatione: posterior, in doctrina, quâ & Euangelium annunciauit, & veram Legis interpretationem tradidit.

59. Ad priorem officij Prophetici partem quod attinet, illud indubitato ac firmiter statuendum est: Omnia verorum Prophetarum vaticinia, non, nisi à CHRISTO, eiusque SPIRITV profecta esse. Non enim voluntate hominis allata est olim Prophetia, 2. Pet. 1. vers. vlt. sed à SPIRITV sancto, (qui Spiritus Christi est, Rom. 8. vers. 9. 1. Pet. 1. vers. 11.) impulsus, locuti sunt sancti Dei homines. Matth. 1. vers. 22. Porro totum hoc factum est, vt persiceretur id, quod dictum fuerat à DOMINO PER Prophetam. Actorum 3. vers. 18. Deus autem, quæ prænuuciauerat PER os omnium Prophetarum suorum, Christum passurum, impleuit sic.

Partes officij Prophetici duæ:

1. Vaticinia.
2. Doctrina.

Causa efficiens Prophetiæ.

60. Ipsique

60. Ipsique Prophetæ, ut reuelationes & doctrinam suam Deo acceptam ferant, toties repetunt illud: *DOMINVS locutus est.* Ezech. 1. v. 1. *Vidi visiones Dei.* v. 2. *Factum est verbum Domini ad Ezechielem.* Dan. 2. v. 28. *Est Deus in cælo, reuelans secreta.* Dauid inquit 2. Reg. 23. v. 2. *Spiritus Domini locutus est per me, & sermo eius per linguam meam.*

61. Quapropter etiam si Christus ipse ante incarnationem non omnes Prophetias de aduentu suo, alijsque rebus, ore tenus tradidit: nihilominus tamen negari minimè poterit, Prophetas à Christo, seu Deo Verbo, missos esse.

62. Certè statim à lapsu primorum parentum, adhuc in Paradiso officium hoc ipse inchoauit & exsecutus est, quando primæuam & principalem illam promissionem Euangelicam, de benedicto Semine Mulieris, caput Serpentis contrituro, Protoplastis annunciauit, Genes. 3. vers. 15. ad quam omnes omnium Prophetarum conciones & vaticinia de venturo Messia, respexerunt.

63. Postea quoque diuersis temporibus & seculis, nunc per Patriarchas, nunc per Prophetas in specie sic dictos, voluntatem suam hominibus reuelauit, eamque subinde mittendo Doctores, illustriorem reddidit.

Prophetarum series
& nomina.

Moses.

64. Præstantissimum autem Prophetam in veteri Testamento dedit *MOYSEN*, de quo Num. 12. versib. 6. 7. 8. Et Deut. 34. v. 10. legitur: *Non surrexit ultra Prophetam in Israel, sicut Moses, quem noisset Dominus à facie ad faciem, in omnibus signis atque portentis, quæ misit per eum, &c.*

Debora.

65. Tempore inde Iudicum, mentio fit *DEBORÆ* cap. 4. vers. 4. quæ Prophetissa fuit, & vnà populum iudicauit. Et post annos septem, quidam vir Prophetam, ad filios Israel missus est, Iud. 6. v. 8.

Samuel.

66. Tandem, cum temporibus Heli sermo Dei esset preciosus, neque visio manifesta, 1. Reg. 3. v. 1. exortus est *SAMUEL*, v. 19. & 20. Et Dominus erat cum eo, & non cecidit ex omnibus verbis eius in terram. Et cognouit vniuersus Israel à Dan vsq; Bersabee, quòd fidelis esset Samuel Prophetam Domini.

67. Tempore Samuelis & post, magnus fuit prouentus Prophetarum, qui & Prophetarum filij dicti sunt: at nomina eorum

rum

rum non exstant, 1. Reg. 10. versib. 5. 6. 10. & 11. 3. Reg. 20. v. 35. & seqq. 4. Reg. 2. v. 3, 5, 7. & 15. Multi enim studio sacro se dicantes, ad Samuelem conuenerunt, quibus ille præfuit, 1. Regum 19. vers. 20. Atque ex ijs Deus aliquot suscitauit, qui Prophetæ officium exercerent: Ita vt post Samuelem perpetua ferè successione Prophetæ fuerint, vsque ad Malachiam Prophetarum vltimum.

68. His DAVID propter præclara vaticinia, quæ de Christo, & de de varijs Ecclesiæ tribulationibus ac liberationibus edidit, in primis est annumerandus. Etsi enim ipse in dignitate regia constitutus, populum, vt reliqui Prophetæ, obambulando non docuit: Eius tamen Psalmos S. Spiritus plenos, in Ecclesia lectos & decantatos esse: populum etiam ex illis incrementa fidei sumpsisse, & in salutari doctrina vtiliter institutum fuisse, nullum est dubium.

Dauid Rex & Prophetæ.

69. Prophetæ verò, quorum nomina quidem, nulla autem scripta exstant, hi fermè sunt: Gad, 1. Reg. 22. v. 5. 2. Reg. 24. v. 11. Nathan, 2. Reg. 7. v. 2. cap. 12. v. 25. Aiaha, 2. Par. 29. vers. 30. Abias Silonites, 3. Reg. 14. v. 2. Semeias, 3. Reg. 12. v. 22. 2. Par. 12. v. 15. Addo, 2. Par. 13. v. 22. Azarias, 2. Par. 15. v. 1. & 8. Hanani, 3. Reg. 16. v. 7. 2. Par. 16. v. 7. Iehu filius Hanani, 3. Regum 16. v. 7. 2. Par. 19. v. 2. Zacharias, 2. Par. 24. v. 20. Iahaziel filius Zacharie, 2. Par. 20. v. 14. Eliezer filius Dodan, 2. Par. 20. v. 27. Michæas filius Iemla sub impio Rege Achab, 3. Reg. 22. vers. 8. Obed, 2. Par. 28. v. 9. Vrias filius Semei, Ierem. 26. v. 20. Helias deniq; & Heliseus, 4. Reg. 1. 2. & c.

70. At qui Prophetias suas memoriæ prodiderunt, eorum quatuor: Esaias, Hieremias, Ezechiel, & Daniel, PROPHETÆ MAIORES vulgò appellantur, quòd volumina Prophetiarum grandiora conscripserint: Alij verò duodecim, quia breues vaticiniorum libros post se reliquerunt, MINORES dicuntur.

Prophetæ maiores 4.

Minores 12.

71. De his omnibus scribit Petrus, 1. cap. 1. v. 10. & 11. De qua salute exquisierunt & scrutati sunt PROPHETÆ, qui de illa in vos gratia prophetauerunt: scrutantes, in quod vel quale tempus significaret is, qui IN ILLIS erat SPIRITVS Christi: prænuntians in Christum passiones: & post has, glorias. Quibus reuelatum est, quòd non sibi met-

Spiritus Christi in Prophetis.

Apostoli in Spiritu
sancto Euangelium
prædicarunt.

sibimetipsis, sed vobis ministrarent ea, quæ nunc annunciata sunt vobis per eos, qui euangelizârunt vobis IN SPIRITU SANCTO *missio de cælo.*

72. Horum finis fuit in Malachia; qui Præcursorem Christi prænunciauit, cap. 3. vers. 1. *Ecce, ego mitto Angelum meum; & præparabit viam antefaciem meam.* Neque inde vsque ad Ioannem Baptistam (ab illo prædictum) insignis aliquis Prophetæ in populo Iudæorum ortus esse legitur.

Materia circa quam.

73. Quemadmodum igitur præclari illi Vates doctrinam de veri Dei agnitione, alijsque fidei capitibus fideliter tradiderunt; suaque voce, nonnunquam etiam miraculis, Iudæorum errores, & Idolorum cultum acriter taxârunt, & sic refutârunt, vt multi ipsorum concionibus ad veram Dei agnitionem & inuocationem conuersi fuerint: Ita de prospero vel infelici rerum euentu & calamitatibus, quæ regnis, præsertim Israel & Iudæ, venturæ erant, multa prædixerunt.

74. Præcipuè verò de Domino & Seruatore nostro Iesu Christo, (in quo salutis nostræ caput est,) vaticinati sunt, ac promissionum diuinarum verum intellectum ostenderunt.

75. Primariam enim illam de benedicto Semine mulieris promissionem, (ne videlicet propter moram diuturniorem de eius complemento dubitaretur,) sæpius repetitam, diuersarum circumstantiarum significatione corroborarunt, Christi que Patriam Parentem, Miracula, Beneficia, Mortem, Resurrectionem, Ascensum in cælos, Spiritus sancti per ipsum missionem, Euangelij publicationem in totum orbem, & cætera ita descripserunt, vt nihil eorum, quæ scire opus erat, ex Spiritu Domini non prædixerint.

76. Horum scripta CHRISTVS non modò ipse est interpretatus, Luc. 4. vers. 21. sed nos etiam ad Mosen & Prophetas ablegauit. Luc. 16. vers. 29. inquit: *Habent Mosen & Prophetas: audiant illos.* Ac resurgens eadem scripta Prophetica, veluti fundamentum & firmamentum fidei nostræ, discipulis duobus Emmauntem euntibus expo-

expofuit: Luc. 24. verf. 27. Et exofus à Mofe, omnibusque Pro-
phetis, interpretabatur illis in Omnibus Scripturis, quæ DE IPSO
erant. Et ibidem ait Christus verf. 44. Hac sunt verba, quæ
locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum, quod necesse foret im-
pleri omnia, quæ scripta sunt in lege Mofis, & Prophetis, & Psalmis
D E M E.

77. Variam autem in edendis Prophetijs rationem Deus ^{Forma vaticinio-}
obferuauit. Non nunquam enim promiffiones & senten-
tiam suam, in primis de Filio suo vnigenito mundi Messia,
difertis verbis tradidit. Aliquando per Allegorias & Parabolas
repetijt, Vt: Esa. 5. 27. & 45. verf. 8. Interdum nuda vi-
fione propofuit; interpretationem verò lectori reliquit:
qualis est descriptio rotarum, cap. 1. Ezechielis. Haud rarò
etiam explicationem subiunxit: vt, Hierem. cap. 1. verf. 12.
de Virga vigilante, & verf. 14. de olla bulliente.

78. Nonnulla typicè propofuit, vt, Ionas triduo latens
in balæna, cap. 2. verf. 1. pictura fuit feptulturæ & resurre-
ctionis Christi, Matth. 12. verf. 40. In quem ordinem et-
iam referenda sunt Sacrificia, & ceremoniæ Mofaicæ:
agnus paschalis. Exod. 12. Hircus in folitudinem abactus. Leuit. 16.
verf. 21. Vacca rufa. Num. 19. verf. 2. & feqq. & fimilia,
quæ vmbra fuerunt futurorum, Heb. 10. verf. 1.

79. Porrò, sancti illi Vates (etiam cum aliud agere vi- ^{Finis}
dentur,) maximè hoc fpectant, fibique propositum habent,
vt vaticinijs & Prophetijs fuis CHRISTVM IE-
SVM, (in quo sunt & promiffionum & vaticiniorum
complementa,) doceant, atque ad cœleste & æternum Ipsi-
us regnum homines reuocent & deducant.

80. Neque verò integra de Christo doctrina secundum ^{Deus locutus est}
omnia eius capita & articulos, præfertim de officio seu sacer- ^{Patribus πολυ-}
dotio & regno; item de beneficijs Messia Redemptoris mun- ^{μερῶς.}
di; ita perfectè & plenè, (qualis nunc est,) simul & semel
Patriarchis & Prophetis reuelata fuit: sed particulatim quasi
tradita est; quantum Deus cuique ætati ad salutem consequen-
tam fufficere iudicauit: vt sic progressu temporis, subinde
magis

magis magisque perficeretur, dum nouæ circumstantiæ prioribus addebantur, quibus doctrina de Christo sensim plenior & clarior reddita est.

Et πολυτρόπως.
Hebr. 1. vers. 1.

81. Quoniam autem de Prophetis dicere cœpimus, per quos Deus Patribus multis modis locutus esse scribitur: non erit fortassis alienum à proposito, si de consulendi Dei ratione, & diuersis reuelationum modis quædam adiungamus.

Ratio consulendi
Deum,
Prima.

82. Consuluerunt ergò Deum Hebræi, quando ad PROPITIATORIUM arcæ fœderis accedentes, ibi Deum interrogabant, & ille respondebat. Quod ipse Exod. 25. v. 22. instituerat, vbi sic loquitur ad Moysen: Pones propitiatorium super arcam supernè, &c. Et conueniam tecum ibi: & loquar ad te super Propitiatorium, de medio duorum Cherubim, (qui erunt super arcam testimonij,) cuncta, quæ præcipiam tibi ad filios Israel. Idque secundum promissionem Dei ita factum esse, constat ex Num. 7. vers. vlt. Cumque ingrederetur Moyses tabernaculum Ecclesiæ, ut loqueretur cum eo: audiebat vocem loquentis ad se DE PROPITIATORIO, quod erat super arcam testimonij, inter duos Cherubim, & loquebatur ei. Et Iud. 20. versib. 27. & 28.

Secunda.

83. Deinde, præter hoc oraculum, Deum in rebus dubijs per VRIM interrogarunt. Vnde scriptum est I. Regum 28. vers. 6. Consuluit Saul Dominum: & non respondit ei Dominus, neque per Somnia; neque per VRIM, neque per Prophetas. Quò pertinet & illud Num. 27. vers. 21. Et coram Eleazar Sacerdote stabit (Iosua:) & interrogabit eum (Sacerdotem) de iudicio VRIM coram Domino. Id est, quid Dominus iudicet, & per Vrim indicet faciendum esse. I. Regum 30. vers. 7. & 8. Dauid ait ad Abiathar Sacerdotem: Applica quæso mihi EPHOD. Et applicauit Abiathar Ephod ad Dauid: Et consuluit Dauid Dominum, dicens: Persequar exercitum istum; num comprehendam eum? Dixitque ei: Persequere; quia comprehendendo comprehendes, & eruendo erues.

84. Per VRIM hîc denotatur, quòd summus Sacerdos in pectorali ipsius Ephod, seu vestis Sacerdotalis, gestabat

bat 12. lapides preciosos auro inclusos, qui à claritate seu fulgore *VRIM* dicebantur. Et iuxta communem sententiam Interpretum, lucem siue splendorem solito maiorem emittebant, quando Deus pro voto Interrogantium responsum vellet.

85. Accedit his tertius modus, quo populus etiam per *Tertia.*
PROPHETAS Deum consuluit. 1. Reg. 9. vers. 9. Olim enim in Israel sic loquebatur unusquisque, vadens consulere Deum: *Venite & eamus ad VIDENTEM*: qui enim Propheta hodie, vocabatur olim *Videns*. 4. Reg. 8. v. 8. Et ait Rex ad Hazaël: *Tolle tecum munera, & vade in occursum Viri Dei, & requires Dominum AB EO* (consules Dominum per eum,) dicens: *Nunquid viam de infirmitate hac?* Sic 2. Par. 18. v. 6. ait Iosaphat: *Estne hic Propheta Domini, ut requiramus AB EO.* Et ait rex Israel ad Iosaphat: *adhuc vir vnus est, ut requiramus Dominum AB EO: sed Ego odi eum, quia non vaticinatur mihi bonum.*

86. Quomodo verò Rebecca Genes. 25. v. 23. Dominum consuluerit, cum nondum esset propitiatorium, neque Ephod, aut Prophetæ in specie sic dicti; Moses non explicat. Verisimile tamen est, quòd à Patriarcha aliquo, arcanis reuelandis claro, (qualis fortè *SEM* fuit, qui tum adhuc viuebat,) verbum Domini quæsierit & audiuerit.

87. Cæterum, Deus consultus, vel etiam non consultus, *Modi reuelationum diuinarum.*
non vno & simplici, sed varijs modis in veteri Testamento voluntatem suam patefecit. Num. 12. v. 6, 7. & 8. inquit Dominus Aaroni & Miriam: *Si fuerit Propheta ex vobis, Ego Dominus IN VISIONE apparebo ei: IN SOMNIO loquar cum eo.* Non sic seruus meus Moses, qui in omni domo mea fidelis est: *ORE AD OS loquar cum eo.* 1. Reg. 28. v. 6. Et non respondit ei Dominus, neque per *SOMNIA*, neque per *VRIM*, neque per *PROPHETAS*.

88. Primus igitur modus fuit, quo Deus patribus apparuit vel *in forma humana*, voceq; manifesta, *ORE AD OS* locutus est eis: vt, Abrahamo Genes 18. v. 1. & seqq. Similiter Iacobo, Genes. 32. v. 24. Vel Visione Externa & oculo in nubis & ignis, vt Mofi & populo Israelitico in monte Sina, Exod. 19. v. 9. & 18. Deut. 4.

Deut. 4. v. 12. Item Mofi in rubo ardente, Exod. 3. v. 2. Et super Propitiatorium. Leuit. 16. v. 2.

Secundus.

89. Secundus modus fuit, quo Deus Vigilantibus *IN VISIONE* quadam supernaturali locutus est, vt: Esai. 6. Ezech. 1. Dan. 10. v. 5. & seqq. Aut interna reuelatione seu Inspiratione Spiritus sancti abscondita manifestauit, suamque voluntatem patefecit, vt Prophetis.

90. Huc referri potest *Ecstasis*: Vbi sensus corporei à rebus externis abstrahuntur, vt Mens in visionibus & reuelationibus oblati absque impedimento occupari possit, Actor. 10. v. 10. & seqq. 2. Cor. 12.

Tertius.

91. Tertius modus: vbi Deus *Dormientibus*, *IN SOMNIO* Visa ostendit, & arcana, suamque voluntatem eis reuelauit, vt: Iacobo, Genes. 28. vers. 11. & seqq. qui in somnis vidit scalam, à terra ad cælum vsque pertingentem, & audiuit sibi Deum loquentem. Daniel cap. 7. vers. 1. & seqq. quatuor Monarchias sub 4. animalium figuris adumbratas videt. Huius modi fit mentio, Num. 12. vers. 6. & 1. Reg. 28. vers. 6.

92. Etsi verò à nobis sciri nequeat, quæ fuerit istarum Visionum & reuelationum Ratio: Certum tamen est, illas fuisse tam Vigilantibus quam Dormientibus oblatas: quibus Deus mentem illorum sic illustrauit & informauit, vt se de rebus necessarijs diuinitus doceri & moneri intelligerent.

Quartus.

93. Quartò, *ANGELORVM* vel *Apparitionibus* externis: vel *Admonitionibus* per Visionem siue Somnium, homines de rebus futuris aut ignotis, certiores facti sunt. *PRIORI* modo *Lothus* de incendio Sodomitico, Genes. 19. v. 12. & seqq. *Gedeon* de liberando Israele, Iudic. 6. v. 11. & 14. *Daniel* de liberatione populi Israel, & exhibendi Messiaë tempore, cap. 9. vers. 21. & seqq. In Nouo Testamento *Zacharias* de nascituro Ioanne, Luc. 1. vers. 11. & 13. & *D. Virgo* de conceptione Messiaë, vers. 28. & 31. per Angelum docebantur. *POSTERIORI* genere *Ioseph* in Infomnio, de non deserenda Maria, Matth. 1. vers. 20. de fuga in Ægyptum, Matth. 2. v. 13. de re-

de reditu in terram Israel, vers. 19, per Angelum admoniti sunt.

94. Porrò, factum quoque est per reuelationem diuinam, vt, quæ alij per quietem viderent, non autem intelligerent, alij interpretarentur. Hac facultate somnia interpretandi, Iosephum Genes. 40. & 41. & Danielelem, cap. 2. 4. & 5. præditos fuisse, legimus.

Somniorum interpretatio.

95. At verò postremis diebus Deus omnem veritatem planè & perspicuè PER FILIUM suum reuelauit & declarauit.

Diuinissimus modus Reuelationis.

96. Is enim in plenitudine temporis Homo factus, vt præter munus Redemptoris, officio quoque Prophetæ ac Doctoris, in terris perfungeretur, non solum Omnium de se Prophetarum vaticinia interpretatus est, Luc 24. vers. 27. Et aperuit discipulorum mentem, vt intelligerent scripturas, vers. 45. Omnemque voluntatem Patris plenissimè simul ac planissimè discipulis, & reliquis auditoribus suis exiguo temporis spacio manifestauit, vt ipse inquit, Ioan. 15. vers. 15. Vos dixi amicos: quia OMNIA, quæ audiui à patre meo, nota feci vobis.

97. Sed etiam in Cordibus Pharisæorum, aliorumque hominum recondita vidit, Matth. 9. v. 4. Ioan. 2. vers. vlt. Et innumeras prophetias, partim iam impletas, partim adhuc implendas, edidit.

98. Tales sunt, quas passim discipulis suis prænunciavit. vt, Matth. 10. v. 17. Tradent vos in concilia: & in Synagogis suis, flagris cadent vos. Quin & ad Principes & reges ducemini propter Me. Ioan. 16. vers. 2. Alienos à Synagogis facient vos. Imò veniet tempus, vt quisquis interficiet vos, putabit se cultum præstare Deo. Item: Matth. 24. vers. 14. Euangelium hoc, vtut mundus oblectetur, toto orbe promulgabitur. Et: Luc. 19. vers. 43. & seqq. Hierusalem excindetur, omnia ibi deuastabuntur & prophanabuntur. Denique Matth. 24. vers. 2. templum istud, quod tantopere admiramini, eò redigetur, vt non lapis super lapidem relinquantur. Quin, ait, Luc. 23. vers. 28. propinqua sunt hæc adeò, vt hi ipsi, qui me ad crucem deducunt, habeant vnde suâ, liberorumque causâ seriò lachrymentur, &c.

Vaticinia Christi.

Has &

99. Has & alias Christi prophetias, Euangelistæ & Apostoli literis consignarunt, & ad omnem posteritatem transmiserunt, quarum complementum & certitudinem maxima ex parte euentus iam comprobauit. Et quia Christus Matth. II. v. 13. ait: *Omnes Prophetæ, & lex, vsque ad Iohannem prophetauerunt: ab illo certè tempore, noua reuelatio aut prophetia de CHRISTO expectanda non est.*

Dies nouissimi. 100. Vnde & dies, à gratioso illo exhibiti Messiaë tempore, ad consummationem vsque seculi, appellantur *Extremi & Nouissimi*, item, *termini aut fines ætatum*, I. Cor. 10. v. 11. *Tempus vel hora nouissima*, I. Ioan. 2. v. 18. Et illæ quidem voces Prophetis etiam, qui de hisce temporibus prædixerunt, usitatae fuerunt, Esai. 2. v. 2. Dan. 2. v. 28, Mich. 4. v. 1.

Altera pars officij
Prophetici:
DOCTRINA.
Causa efficiens
doctrinæ cœlestis.

SEQUITUR iam altera officij prophetici pars, ad DOCTRINAM ipsius spectans, quam non minus fideliter Dominus & Saluator noster exsecutus est. Etsi enim Ipse in Iudæa obambulando, paucos annos viua voce populum suum docuit: semper tamen ante sui aduentum in carnem, & adhuc vsque ad consummationem seculi, promissionem & doctrinam de Messia mundi Salvatore, Ecclesiæ traditam, per Doctores & Prophetas suos propagat. Ioan. 1. vers. 18. *Deum nemo vidit vnquam: vnigenitus FILIVS, qui est in sinu Patris, IPSE enarrauit.* Et Matth. 11. v. 27. *Nemo nouit filium, nisi Pater: neque Patrem quis nouit, NISI FILIVS, & cuiusque voluerit Filius reuelare.* Ioan. 15. v. 15. *Omnia, quæ audiui à Patre meo, not a feci vobis.* Eph. 4. v. 11. Et IPSE (Christus) dedit alios quidem Apostolos, alios verò Prophetas, alios autem Pastores & Doctores, ad instauracionem Sanctorum, in opus administrationis, &c. Ideoque idem Apostolus Gal. 1. v. 2. restatur, accepisse & didicisse se Euangelium non ab hominibus, sed per reuelacionem Iesu Christi.

102. Et quidem in V. Testamento ipse, Verbum æterni Patris, & omnium primus Doctor munus docendi in Ecclesia incepit, quando protoplastis de fructu arboris vetitæ non comedendo, legalem quasi concionem, Genes. 2. & iisdem postea lapsis Euangelicam promissionem de benedicto mulieris Semine immediatè tradidit, Genes. 3. v. 15.

Postea

103. Postea per Patriarchas & Doctores pios locutus est, qui ante & post diluuium de vera agnitione & cultu Dei, de fide in Semen mulieris, caput Serpentis contritulum, de iustitia & salute æterna, homines docuerunt. Series Doctorum.
V. T.

104. ADAMVM certè filios suos promissionem de Semine mulieris docuisse, nullum est dubium: Et vel inde constat, quòd Hebr. 11. v. 4. dicitur Abel FIDE (quâ promissum Semen mulieris apprehendit,) vberiore hostiam, præ Cain, Deo obtulisse. Ante diluuium.
Adam.

105. Sic Genes. 4. vers. vlt. dicitur, quòd tempore SETH & ENOS, cœptum sit inuocari nomen Domini: quod certè sine doctrina & prædicatione factum non est. Seth.

106. Et in Epistola Iudæ versu 14. legitur, quòd septimus ab Adam ENOCH vaticinatus sit, dicens: *Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis, vt faciat iudicium aduersus omnes impios.* Enoch.

107. Deinde 2. Pet. 2. v. 5. NOAH dicitur præco iustitiæ quòd ad pœnitentiam & fidem Messia hortatus sit priscum mundum. Per hunc Noah, Spiritum Domini locutum esse, constat ex cap. 6. v. 3. Genes. vbi Dominus inquit: *Non contendet Spiritus meus cum homine in æternum, quia caro est.* Non autem immediatè, sed per Noah, contendit cum hominibus. Noah.

108. Sic quoque SEM post diluuium fuit Doctor, & iuxta communem sententiam Hebræorum, fuit Sacerdos ille Dei altissimi, & Rex Salem, cognomento dictus Melchisedech, id est, Rex iustitiæ, qui in vrbe Salem, (quæ postea fuit Hierusalem,) habitauit: ibique posteritatem suam plurimis annis, imò seculis docuit. Vixit enim cum suis nepotibus & posteris, etiam post mortem Abrahami, 35. annos. Post diluuium.
Sem.

109. De ABRAHAMO legitur Genes. 12. v. 8. & cap. 13. v. 4. quòd edificarit altare DOMINO: & inuocarit IN nomine DOMINI. Cap. 21. v. 33. Plantauit (Abraham) nemus in Beersebah: & inuocauit in nomine DOMINI Dei æterni. Eidemque Dominus multoties locutus, Semen, in quo benedicendæ erant omnes terræ nationes, disertè promisit: Genes. cap. 18. v. 18. cap. 22. v. 18. Abraham.

110. Post ipsum, apparuit Dominus ISAACO, qui etiam Ecclesiam suam docuit, & in nomine DOMINI inuocauit: Isaac.

Iacob.

vt patet ex Genes. cap. 26. v. 24. & 25. Hunc secutus est **IACOB**, cui similiter Dominus apparuit, & repetijt illi promissionem de Semine benedicturo omnes gentes, Genes. 28. v. 14. Cuius ipse præco in Ecclesia sua fuit. Nam *statuit altare Domino: & inuocauit fortem DEVM Israelis*, Genes. 33. v. ult. cap. 35. v. 7.

Prophetæ.

111. Insuper, Deus in populo Israël semper excitauit & misit Spiritu diuino repletos, per quos voluntatem suam patefecit, viamque salutis homines docuit. Et illi tam propter docendi, quam vaticinandi munus appellabantur **PROPHETÆ**, *viri & serui Dei*, de quibus Iere. 7. v. 25. dicit Dominus: *Misi ad vos omnes seruos meos Prophetas: & non audierunt ME.* Et Cap. 26. v. 5. *Vt audiat sermone seruatorum meorum Prophetarum, quos ego misi ad vos.*

In nouo Testamento:
CHRISTVS.

112. Tandem in nouissimis diebus locutus est nobis Deus, non per nudos solum homines & seruos, sicut Patribus: sed per **FILIVM** suum **Vnigenitum** (Ioan. 1. v. 14.) & **Proprium**, (Rom. 8. v. 32.) qui postquam caro factus in mundum venit, veritatem per typos & figuras **V. T.** adumbratam exhibuit, verumque Legis intellectum explicauit.

113. In primis verò Euangelium de gratuita redemptione, iustificatione, & salute hominum, discipulis suis & Israelitis in Iudæa, Galilæa ~~prædicauit~~ prædicauit, enarrauit, & miraculis, suaque tandem passione & morte confirmauit & obfirmauit.

114. De hac parte officij Christi vaticinatus est **Esaias** cap. 61. v. 1. *Spiritus DOMINI IEHOVÆ super ME: ea propter Iehouah vnxit me: ad Euangelizandum mansuetis misit ME, &c. ad PRÆDICANDVM captiuos libertatem, & vinctis apertionem carcerum, &c.* Atque hoc vaticinium interpretatus est **Christus** de **SE**, Luc. 4. v. 21. dicens: *HODIE impleta est hac Scriptura in auribus vestris.*

115. Quemadmodum autem Omnium hominum causâ in mundum venit, vt eos saluaret, Matth. 18. vers. 11. Luc. 19. vers. 10. **Doctor**que Omnium hominum **Vniuersalis** à Patre suo cœlesti constitutus est: (Matth. 17. vers. 5.) ita quoque **Euangelium salutis OMNES** doceri voluit, vt **OMNES**

N E S

N **E** **S** in eum crederent, & per fidem in ipsum salua-
rentur.

116. Ideoque discipulos suos, ac reliquos Iudæos in templo: Matth. 21. vers. 23. cap. 26. v. 55. Marc. 11. v. 17. cap. 12. v. 35. cap. 14. v. 49. Luc. 19. v. 47. cap. 20. v. 1. cap. 21. v. 37. Ioan. 7. v. 14, & 28. cap. 8. v. 2, & 20. cap. 18. v. 20, in Synagogis: Matth. 4. v. 23. cap. 9. v. 35. cap. 13. v. 54. Marc. 1. v. 21. cap. 6. v. 2. Luc. 4. v. 15, & 44. cap. 6. v. 6. cap. 13. v. 10. Ioan. 18. v. 20. per singulas ciuitates & castella: Matth. 11. v. 1. Luc. 8. v. 1. cap. 13. v. 22. per viccos vndique circumiacentes: Marc. 6. v. 6. Nazareth. Luc. 4. v. 16. Capernaum: v. 31. Ioh. 6. v. 59. in priuatis domibus: Luc. 10. v. 39. in monte: Matth. 5. v. 2. in deserto loco: Marc. 6. v. 34. in loco campestri: Luc. 6. v. 17. ad mare: Marc. 2. v. 13. cap. 4. v. 1. De nauis: Luc. 5. v. 3. Denique per vniuersam Iudæam, Luc. 23. v. 5. Mar. 10. v. 1. & Galileam: Marc. 1. v. 14. & 39. cap. 9. v. 29. quatuor circiter annos ipse docuit & Euangelium prædicauit.

117. Post resurrectionem verò, & iam in cælum ascensus, mandauit Apostolis ac discipulis suis, vt **OMNES** gentes docerent, Matth. vlt. vers. 19. Et Euangelium prædicarent **OMNI** creaturæ, Marc. vlt. vers. 15. vt prædicarent in nomine Eius poenitentiam & remissionem peccatorum in **OMNES** gentes, Luc. 24. vers. 47. Et Paulus Actor. 17. vers. 30. ait: Deus annuntiat nunc hominibus, vt **OMNES VBIQUE** resipiscant: & salutem consequantur.

Apostoli & discipuli Christi.

118. Ipse etiam **DOMINVS**, postquam in cælum assumptus à dextris Dei confedit, discipulis vbique prædicantibus, cooperatus est, verbumque confirmauit per signa subsequenta, Marci cap. & vers. vlt. De hoc ipso Apostolico munere per Apostolos apud Gentes peragendo, prædixerat Christus Iohan. 10. vers. 16. Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili: illas quoque oportet **ME** adducere: (quod factum est per discipulos, Principe Apostolorum & Pastorum cooperante:) Et vocem **MEAM** audient.

119. Atque sic, per hos suos ministros, Christus Euangelij doctrinam prædicari fecit in Vniuerso mundo, Psalm. 19. v. 5. Et Rom. 10. v. 18. Annon audierunt? Atqui in **OMNEM** terram

tam exiuit sonus eorum, & in Fines orbis terræ verba illorum. Colof. 1. v. 23. Nec dimouemini à spe Euangelij, quod audistis, quod prædicatum est apud Vniuersam creaturam, quæ sub cælo est.

120. Apostoli enim ad Eius mandatum (haud secus ac Sacerdotes clangentes tubis, earumque sono muros Iericho deijciantes, Iosu. 6. v. 20.) terrarum orbem circumierunt, nullaque vi humana, solum tubæ & sono Euangelij, munitiones & regnum Satanæ demoliti sunt: Idola gentium deturbârunt: eorum Idolomaniam multiplicem euerterunt: hominumque conuersionem & salutem operati sunt.

121. Utque doctrina isthæc saluifica, quam docuerant, ad omnem posteritatem propagaretur, Paulus cum Barnaba, Actor. 14. vers. 23. per singulas Ecclesias Presbyteros constituit: & per discipulum suum Titum cap. 1. vers. 5. in Creta per ciuitates constitui voluit. Idem quoque reliqui Apostoli, eorumque discipuli fecerunt.

Ministri verbi.

122. Per illud Euangelij ministerium Deus etiam nunc hodie nobis loquitur: suaque de voluntate, & salute nostra, per **M I N I S T R O S** Verbi (qui ad sermonem Christi alligati sunt, Matth. cap. vlt. & v. vlt. Iohan. 8. v. 31.) nos erudit. Idcirco Christus ait, Luc. 10. v. 16. *Qui vos audit, M E audit.*

123. Neque desinet Euangelij prædicatio, & Ecclesiæ edificatio vsque ad finem mundi. Idque Christus ipse testatur, Matth. vlt. versu vlt. *Ecce Ego vobiscum sum omnes dies vsque ad consummationem seculi.* Et Paulus 1. Cor. 11. vers. 26. præcipit: *Mortem Domini annunciate, donec venerit.*

124. Quapropter ministri verbi, vt Angeli & Legati Dei, tum propter Dominum, à quo missi sunt: tum propter summam vtilitatem, quam ex illorum ministerio percipimus, (mittuntur enim salutis nostræ causa,) debito honore sunt prosequendi, ipsumque Ministerium Ecclesiasticum pro summo beneficio Dei in terris, agnoscendum, proque illius conseruatione maximæ Deo agendæ sunt gratiæ.

Scopus Prophetarum & Apostolorum.

125. Porrò, Sicuti Euangelij prædicatio auctorem habet Christum, qui tam in Veteri, quam N. Testamento Patris voluntatem de reparanda salute, hominibus reuelauit: ita quoque directæ est ad vnum eundemque *Scopum* **C H R I - S T V M,**

S T V M, in quem vnum sancti Patriarchæ ante & post diluuium, Sancti Prophetæ, & postea in nouo Testamento Apostoli, alijque per fidem respicientes, saluati fuerunt.

126. Et, si res ipsas, doctrinamque consideremus, quam Prophetæ in Veteri, Christus autem & Apostoli in Nouo Testamento proposuerunt: certò deprehendemus, quòd in vno eodemque fine semper conueniat, qui est **CHRISTVS**, fide in salutem apprehendendus: Psal. 40. vers. 8. Luc. vlt. vers. 27, 46. & 47. Ioan. 5. vers. 39. Act. 10. vers. 43. 1. Cor. 2. vers. 2. Et cap. 1. vers. 23. In cuius describenda persona, officio, beneficijs humano generi acquisitis, & cultibus ipsi vicissim præstandis, vt plurimum occupata est, & perficitur.

127. Deinde, eo etiam fine Lex in veteri Testamento data & inculcata fuit: vt homines peccatis, ira Dei, & maledictione agnitâ, maiori desiderio ad promissum Messiam fide confugerent, inque eo salutis spem collocarent. Vnde plurima exempla subiunguntur, tum eorum, qui à norma legis deflectentes, à Deo puniti sunt: tum verò illorum, qui respicientes vitamque suam ad eius præscriptum instituentes, fide in Christum saluati sunt.

128. In Nouo autem Testamento, etsi Christus principaliter Euangelium docuit: Legem tamen etiam coniunxit, explicuit, & à corruptelis Phariseorum repurgauit. Ideo damnat Phariseorum insipientiam, qui Legem de exteriori tantum obedientia accipiebant: Ipse verò eam ad interiora quoque reuocat, inquit Matth. 5. vers. 22. *Omnis, qui irascitur fratri suo temerè, obnoxius erit iudicio, &c.* Et vers. 28. *Omnis, qui aspexerit mulierem, ad concupiscendum eam, iam adulterium cum ea commisit in corde suo.* Item vers. 44. *Diligite inimicos vestros: Benedicite maledicentes vos: benefacite ijs, qui oderunt vos.*

129. Hæc doctrina, vtut *simplici sermonis genere* proposita & consignata videatur, omnem tamen mundi sapientiam, omniumque Oratorum & Sapientum pomposo & splendido orationis habitu perpolitum sermonem (vtpote sapientiæ, mysteriorum Dei, Spiritus, virtutis & efficaciam plenissima,) longissimè superat. *Est enim sermo Dei viuus & efficax, & penetrantior quouis gladio vtrinq; incidente, & pertingens vsq; ad diuisionem animæ*

Forma celestis doctrinæ.

animæ ac Spiritus, compagiumq; ac medullarum; & discretor cogitationum & intentionum cordis. Heb. 4. v. 12.

Finis.
CHRISTVS. 130. Denique, si *finem* Scripturæ sacræ spectemus; is est, *vt credamus, quod IESVS est CHRISTVS Filius Dei;* (quem ipsa promittit, prænunciat, præfiguratur, adumbrat, describit, prædicat, tanquam mundi Salvatore: qui mysterium salutis à seculis absconditum hominibus reuelauit,) *vt credentes omnium temporum & locorum, Vitam habeant in nomine Eius.* Ioan. 20. vers. vlt.

131. Et in specie de Prophetis inquit Petrus, Actor. 10. vers. 43. **CHRISTO** omnes Prophetas testimonium ferre, quòd remissionem peccatorum accepturus sit per nomen eius, omnis credens in ipsum.


HERI. 132. **IESVS CHRISTVS** enim æternus Dei filius, **HERI** est, Heb. 13. vers. 8. Sponsor N. Testamenti (Heb. 7. vers. 22.) ab æterno factus: nec non à lapsu statim Protoplastorum, Saluator generis humani promissus, Genes. 3. Et in typis sacrificiorum, ratione efficaciam occisus, Apoc. 13. vers. 8.

HODIE. 133. Idem quoque est **HODIE**: In temporis plenitudine Homo factus: & tanquam magnus Dei (peccata mundi portans & expians) occisus. Cuius operis fructum credentibus, per Verbi ministerium, ad finem vsque mundi, applicat.

IN SECVLA. 134. Is idem & **IN SECVLA**: in omnem æternitatem vt Deus & Homo regnans, suamque Ecclesiam, velut caput (Col. 1. vers. 18.) conseruans & glorificans: Vt Omnis, qui gloriatur, non nisi in **DOMINO IESV** gloriatur. 1. Cor. 1. vers. vlt.

135. Hic **CHRISTVS**, Summus Propheta & Vniuersalis mundi Doctor, qui est splendor gloriæ Patris, nobis quoque splendeat, nosque suo verbo illuminet: tenebras ignorantiam, errorum ac vitiorum dispellat: & radios bonitatis, philanthropiæ, ac gratiæ Dei ad nos transmittat, vt harum virtutum effectu æternum fruamur. Cui Saluatori dulcissimo, cum Patre & sancto Spiritu, sit laus, honor & gloria in æternum, Amen.

F I N I S.



Jg 33 50

ULB Halle 3
003 560 996



f

TA → OL
Mura 4 u. 11
Vorkurs

V077



nam rantes inq̄ legis subie

Marnis leg per deser

tū dantēs rignū in apernū ter f

at deq̄ rēnū mīdū mē a omni

Sne comhānes aia nūna carna

is aquilina fū: nū: fē: rē: m

A

4

rūt rōns uqlāt a us mōns 3 lū

F dū rē mōns mōra sensus uiteratō


F aia comēplano

F rignū: mter aq̄ci fōmūdōm

F hīs hāq̄mōdāt nūa lēnātū: q̄

F nō: aūmū: mē fōs est xpc m

F 4



15
(am 74)

Disputatio I.
 IN OFFICIO CHRISTI
 PROPHETICO:
 PHETIS ITIDEM
 libus vtriusque Testamenti;
 QUAM
 ET AVSPICE
 maximo omnium Do-
 ctore Christo,
 PRÆSIDIO
 ERENE
 CLARISSIMO
 DN. STEPHANI
 II, SACROSANCTÆ
 & in inclyta Tübingensium Acade-
 mie leberrimi, Domini hospitis, Præce-
 & fautoris sui reuerenter
 colendi,
 VI. ET VII. MARTII,
 solutis publicè examinandam,
 ET
 ij sui modulo defendendam
 Proponit
 Theodorius Berckelman
 Radio-Brunsvigiacus.

TÜBINGÆ,
 Philippi Gruppenbachij,
 Anno 1607.